

sec aliis verbis cap. xix. Nam per toleratiam devicto injusto Preside ,
siveque Immortalitatis Corona recepta , cum Apostolis , omnibusque Iustis ex-
saltans , Deum ac Patrem glorificat , atque benedicit Dominum nostrum .
En Exsultatio ipsa , ~~etiamque~~ : en ipsum Glorificare Deum coronatis
Athletis tributum , quod Johanne teste in Apoc. xix. 7. incolae Cœli
usurpant , dicentes : Gaudeamus & Exsultemus , & demus Gloriam Do-
mino Deo nostro , quia venerunt nuptiae Agni . Luculentius autem expressa
haec deprehendas in antiquissima Latina Versione ejusdem Epistolæ
Smyrmenium , ab Usterio edita , & Seculo Christi IV. ut is opina-
tur , in osum Ecclesiæ Gallicanæ consecrata . Hanc rursum evulgavit
Ruinartus inter Acta Martyrum : Parum dissimilem dederat & Bollan-
dus Tomo II. Sanctor. Januarii . Ibi legitur cap. II. Beatæ enim Passio-
nes Cœlestia tolerantibus Regna parturiunt ; & post contenta haec omnia ,
opes , honores , parentes , Coronæ consummatio plena Martyrium est . Cur
vero Martyres animo tam intrepido omnia perferrent , ratio ibi red-
ditor : Parabatur enim unius bore exitio Gaudium , nulla vetustate peri-
turum . Haec ibi , quam eamdem Epistolam , variis demitis , additis ,
aut mutatis , Smyrnenes ad varias Ecclesiæ miserint . Sed & ex ea-
dem Versione cap. viii. haec habeto . Tandem hora illius ac tempus ad-
venit , quæ custodita acciperet Coronam Iustitie , quam scilicet & Apo-
stolus Secunda ad Timoth. iv. 8. exspectabat repositam siti in illa die ,
non ut opinatur Burnetus , ei tradendam post complura , immo plu-
rima Secula , sed Resolutionis , sive mortis sua die , quemadmodum
acepit & Polycarpus , ab Apostolis ipsis eruditus . Propterea beatissi-
mus idem Martyr in oratione ad Deum , quam in limine certaminis
præmisit , aejebat cap. xii. Te benedico , qui me dignum haec passione du-
xisti , ut percipias partem , Coronamque Martyrii &c. ut completo Sacrifi-
cio istius diei , Promissa tue veritatis accipias . Haec veterum Christia-
norum fides , haec doctrina , quam adhuc Catholica Ecclesia a majo-
ribus traditam constantissime servat . Atque ex his paucis constare
jam potest , quam longe a veritate abierit , quantumque suis Lecto-
ribus imponat Burnetus , dum primitivæ Ecclesiæ traditionem nobis
adversam , sibi omnino faventem , apud imperitos venditarit .

C A P U T VIII.

*Justinus Martyr Chiliastrarum errori additus , cum Burneto tamen minime concors . Que
de presenti controversia senseris Author Questionum ad Orthodoxos .*

AT ille instaurato certamine sortiores pingiles pro sua sententia
eduicit , quorum primus S. Justinus Martyr , qui vitam pro Chri-
sto dedit anno Vulgaris Aerae , ut creditur , cxxvi . Is enim in Dialogo
cum Tryphone , pag. 223. edition. Coloniens. in haec verba de Ani-
malibus & Corpore abeuntibus loquitur : *Piæ quidem in Loco quoddam me-
liore manent : Injustæ vero & Pravæ in deteriore , Judicij tempus exspe-
ctantes . Adiexit deinde S. Ireneum , qui sub finem Sæculi a Christo*

na-